

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXXV. Dissertatio Anatomico-Chirurgica, De Novo Artificio Curandi
Procidentiam Uteri.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

L X X X V.

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA,

DE

NOVO ARTIFICIO CURANDI
PROCIDENTIAM UTERI.

Quam Praeside

ANDR. OTTOMAR GOELICKE, M. P. P.

Tuebatur

JOAN. GEORG. PREUNEL.

Francof. ad Viadrum mens. Novembris 1710.

Tom. III.

Yyy



LXXXV

DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA

NOVO ARTIFICIO CURANDI
PROCESSIONEM UTERI

Quam Praefata

ANDR. OTTOMAR GOELICKE, M.P.

Testatur

JOAN. GEORG. FREUNEL.

Frankoe ad Vindobum mense Novembri 1710.

Y 17

Tab. III.



PROOEMIUM.

Homo, superbum natura animal, miseræ suæ ac deplorandæ, in qua vivit, conditionis, non potest efficacius convinci, quam seria primæ suæ originis pensitatione: *Inter fercus enim & urinam nascuntur* omnes, quotquot in hunc mundum prodeunt, sorte hac inter omnes mortales æqualiter distributa. Sexus præcipue sequior, cui sobolem concipiendi, nutriendi, edendi & educandi provinciam demandavit supremus rerum humanarum arbiter, innumera quotidie documenta in sese experitur, quibus, si vel leviter animum advertere vellet, à vana illa mentis elatione, in quam præ sexu virili inclinatur, facile avocari inque rationis rectæ gyrum reduci possit. Silentio jam prætereo infinita incommoda, quibus subjiciuntur femellæ, si vel tributum ordinarium, quod singulis mensibus naturæ solvendum est, impeditius succedat, vel aliena loca adfectet, vel plane supprimatur, vel enormi ac prodigiosa in quantitate succedat. Mitto, quibus teneriores ac sensibiliores femellæ ex consensu uteri cum aliis partibus excruciantur, pathemata hypochondriaco-hysterica. In scenam tantum produco molestissima illa symptomata, quibus mox a primis ingravidationis momentis toto gestationis tempore inquietantur mulieres gravidæ: Statim ac enim conceperunt, inappetentia ciborum corripuntur, quædam illarum adpetitu extraordinario ita aguntur in transversum, ut in res prorsus insolitas & esui humano vix inservientes ferantur: Aliæ vomitu, flatulentis aliæ infestantur, in plerisque fluxus menstruorum subsistit, qui tamen aliis quandoque mediis gestationis mensibus in solita quantitate denuo erumpit, inque præsentissimum abortus periculum ipsas præcipitat. Quibusdam tussis molesta supervenit, alias vigilæ continuæ exhauriunt, aliæ alia hoc potissimum tempore experiuntur symptomata. Adpropinquantibus porro ultimis gestationis mensibus difficultates urinæ alvique segnities, uti & tenesmus gravidas occupat. Quibusdam pedes oedematoso tumore inflantur, faciesque abjecto & leucophlegmatico colore ita defedatur, ut sibi metipsis prorsus dissimiles adpareant. Tandemque instante partus tempore rem calamitatis plenissimam subeunt, sibi que ipsis nonnunquam vel fetui exitiosam, qui in lucem proditurus sæpius infelici matri, à qua vitam suam accepit, eandem eripit. Sæpius autem primum suum domicilium, in quo per integrum novem mensium spatium hospitatus est, fit ejus sepulchrum, & contabescens in utero tenellus embryo matrem suam vivum efficit cadaver. Quibus mitiora eveniunt fata, eas pessime interdum mulctat obstetricum imperitia, violentiore manu extractionem fetus molientium, adeo ut nonnunquam una cum fetu ipse quoque uterus protrahatur, atque sic extra pudenda muliebria pendulus conspiciatur; quem adfectum communiter *procidendam* seu *prolapsum* adpellant. Sicuti autem pleraque hæc, de quibus diximus, symptomata



propter viros eorumque cohabitationem patiuntur mulierculæ: Ita nihil naturali, qua erga pulchriorem sexum ferimur, propensioni convenientius, aut medicorum provincia dignius, quam talibus imprimis artificis excogitandis operam navare, quibus uterum extra sedem suam naturalem prolapsum efficaciter restituere & retinere liceat, ut ei denuo usui subserviat, cui à natura destinatus est. Produçemus ejus rei specimen in nova quadam *Pessuli uterini*, elaterio quasi gaudentis, specie, qua uterus vere prolapsus in locum suum naturalem non solummodo dextre reponitur, sed & efficaciter retinetur. Quibus nostris conatibus ut *Deus O. M.* in salutem & incolumitatem sexus feminei ex alto benedicat, est, quod humillime precamur.

§. I.

DUm novum orbi medico insinuo artificium curandi *prociditiam uteri veram*, neminem fore existimo, qui probro mihi daturus sit, quasi novitates, aliis dudum antiquatas, studiose adfectem; facile enim largior, aliis antiquum videri posse, quod mihi omnino novum est. Interim scabiosum illud ac propemodum insanabile qualicunque aliorum inventa cavilandi cacoethes, quo innumeri literatorum hodie pruriunt, multos moratur, quo minus ea, quæ in humani generis commodum utilia deteguntur inventa, debitam inveniunt adplausum, quin potius in prima, ut loqui amamus, herba suffocentur. Ejusmodi Zoilos, qui nihil bonum, utile rectumque putant, nisi quod ipsi invenerint, non nostra tantum, in quibus vivimus, tempora gignunt; sed & ævo Hippocratis uberrimus jam eorundem fuit proventus; proinde tales alienorum inventorum irrisores gravissime reprehendit libro de arte, dum ita in eosdem invehitur: *Eorum aliquid, quæ nondum inventa sunt, invenire, quodque invenisse, quam non invenisse præstiterit, similiterque imperfecta ad finem deducere, id mihi videtur illius esse vitium, qui intelligens existimari cupit: Qui vero ea, quæ ab aliis inventa sunt, inhoneforum verborum artificio contaminare contendit, neque quicquam corrigat, sed a peritis inventa apud imperitos traducit, is sane prudentia existimationem tueri velle non videtur, sed potius naturam suam aut ignorantiam malitiose prodere. Solis enim artium ignavis hoc opus competit, qui ambitiosius quidem contendunt, neque tamen improbitate sua ullo modo præstare possunt, ut aliorum opera vel recta calumniantur, vel non recta reprehendant.* Non autem hic sermo mihi est de novis quibusdam speculationibus vel opinionibus, quæ sæpius præter solam curiositatem nihil amplius habent in recessu, sed de instrumentis seu organis novis, ex quorum adplicatione vel in emendanda partium humani corporis vitiosa figura, vel in restituendo situ membrorum læso præsentissimus sequitur effectus: Quorsum haud dubie novum hoc pessuli

peffuli uterini artificium pertinet, quo uterus vere extra sinum muliebrem prolapsus in locum suum naturalem restituitur.

§. I I.

Prius vero quam descriptionem ejus plenius perfequar, præmissa consideratione nominali, paucula de substantia, situ & connexione uteri cum partibus vicinis prælibanda sunt: Hinc enim princeps suum argumentum mutuatur, qui procidentiam uteri veram negant aut dubiam saltem reddunt, sicuti paulo post patebit. Equidem perinde mihi fuerit, sive quis adfectum, quem tractaturus sum, *procidentiam* vel *prolapsum* vel *descensum*, vel *exitum* seu *dislocationem* vel *precipitationem* vel *herniam uterinam* vel *inclinationem uteri* &c. vocaverit: Ea enim semper animo meo infedit opinio, in ipsis rerum denominationibus non esse quaerenda mysteria: Quia tamen sensui communi medicorum, ita & non aliter loquentium, strictè inhærendum & à terminis artis receptis vix citra fonticas rationes recedendum: hinc promiscuæ ejusmodi rerum à se mutuo distinctarum adpellationes non temere adprobandæ. *Descensus* à *procidentia* seu *prolapsu* differt gradu; utero enim intra limites vaginæ adhuc subsistente, descensus tantum adpellari consuevit: Eodem vero extra labia pudendorum propendente, *procidentia* seu *prolapsus* vocatur adfectus. *Precipitationis* vocabulum admodum infulsum est pro eodem adfectu denotando, & plurimis jam aliis barbarum visum fuit. *Hernia uterinæ* denominatio æquivocationem admittit, ex quo *Sennertus*, practicus sui temporis famigeratissimus, singularem & à nullo medicorum ad illa usque tempora observatam uteri adfectionem sub hoc *hernia uterinæ* nomine proposuit, cujus non solummodo in *institutionibus lib. II part. I. cap. 9. sed & oper. pract. lib. IV. part. I. sect. II. cap. 16.* mentionem facit, hunc fere in modum: Uxor viatoris cujusdam ad sinistrum inguen violenter percussa est, ex quo peritonæum non tam ruptum quam laxatum tantum fuit; nam paulo post tumor ad sinistrum inguen obortus, qui brevi tempore tantum sumsit incrementum, ut intra abdomen recondi nullo modo posset. Incidente itaque de utero prolapsu suspicione, eventus omnem tandem dubitationem sustulit; uterus enim conceptu gravidus, fetu indies aucto, dilatatus, simulque cum eo cutis inguinis sinistri, qua uterus prolapsus erat, ita extensa, ut utero & cute conclusus fetus facci instar aut cucurbitæ oblongæ majoris modo propenderet, motusque infantis tandem & tactu & visu manifesto perciperetur. Atque hinc proinde adfectum nomine herniæ uterinæ merito indigitat, eumque à *procidentia* seu *prolapsu* uteri vere distinguit. Similiter *inclinatio uteri in alterum latus* à *procidentia* proprie sic dicta differt, ipsumque *dislocationis* vocabulum, quamvis situm uteri mutatum generice insinuet, ad indigitandam tamen propriam adfectus indolem vix satis videtur esse adcommodatum.

Y y y 3

§. III.



§. III.

De substantia uteri, missis reliquis, de quibus loquuntur anatomici, id tantum observo, eam diversis temporum intervallis dilatationis æque ac constrictionis admodum esse capacem, non aliter ac videmus in bursa virili, quæ ad horrorem & frigus externum aliasve causas valide contrahitur, iis vero remittentibus mox relaxatur. Mirum dictu est, quomodo ab embryone intus concluso, & majora pedetentim incrementa sumente, ita sensim volumina ejus expandantur, ut in femellis tenerioribus ac valde macilentis ipsi abdominis muscoli membranarum instar extenuati veluti conspiciantur, crassitudine interim uteri ne vel minimum remittente, quin potius sub tanta uteri mole aucta; sicuti & mihi & quibusdam auditorum meorum ante triennium videre contigit in muliere rustica partui proxima, quæ ex inflammatione enormiori oculi, ad phrenitidem usque invalescente denata fuerat, cujus cadaver (fetus enim vivere adhuc credebatur) in absentia medici provincialis ordinarii secundum nobis injungebatur. Partu autem excluso in pristinos angustos limites ita rursus constringitur uterus, ut cavum ejus vix amygdalam capiat; quo eodem in statu versatur quoque in puellis non maritatis.

§. IV.

Quod *situm* uteri attinet, sciendum, occurrere illum in medio hypogastrii, eo præsertim loco, quem *pelvim*, ex concursu ossium ilii, coxendicis & sacro formatam, adpellant anatomici, inter vesicam urinariam, quæ immediate incumbit, & intestinum rectum. Quem commodum situm eum præcipue in finem provida natura ipsi indulgit, ut eo minori prolapsus periculo subesset; cui melius confirmando varia alia adhuc ligamenta velificantur, quibus partibus proximis adligatur, & antè quidem ope peritonæi vesicæ urinariæ, postè intestino recto, utrinque vero a lateribus per duo ligamentorum paria, quorum priora à figura *lata* vocantur, & uterum ossibus ilii adnectunt, posteriora vero *rotunda* audiunt, pariterque eundem, quippe à lateribus ejus ortum suum deducunt in situ suo confirmant. Fundum autem undiquaque liberum extitisse oportuit, ut pro mole & incremento fetus, quod successive acquirit, sufficienter dilatari & expandi valeret. Et sicuti ipsum uterum mirificæ dilatationis & constrictionis capacem esse modo adnotavimus: Ita & ligamenta ejus diversæ huic toni sive remissioni sive intensioni subsunt, adeo ut illo præter modum quandoque remittente nihil impediatur, quo minus uterus non solum quoad partem vaginæ, sed & fundum ejus, adeoque vere extra sinum pudoris elabatur.

§. V.



§. V.

Id vero potissimum est, quod multis magni nominis medicis ansam suppeditavit, procidentiam uteri veram vel aperte negandi, vel de eadem saltem subdubitandi; credunt enim, impossibile esse, uterum quatuor validissimis ligamentis, duobus rotundis totidemque latis non suspensum, sed firmatum ita prolabi posse, ut extra sinum pudoris promineat. In horum numero summum imprimis nomen profertur *Theodorus Kerckringius*, qui *observ. anat.* 20. phalerato sarcasmo gravissime invehitur in *Veslingium*, *Bartholinum* & *Laurentium*, eosque, quasi a sola vaginæ uterinæ extra pudenda prominentis, istaque quandoque ludibria efficientis, laxitate sibi incaute imponi passifuerint, insimulat lauteque irridet. *Jobus à Meeckern* prolapsum uteri verum non quidem penitus negat, sed eundem nec adeo frequentem esse, ac vulgo dicitur, nec à causâ tantum interna, relaxatione scilicet ligamentorum uterinorum procedere existimat, argumento desumpto à firmissima ista uteri cum intestino recto circa os sacrum partesque vicinas connexione: Interea utique concedit, externa quadam violentia, in partu nempe difficili & arctiori secundinarum cum interna uteri substantia cohaesione extrahi eundem posse; hoc autem modo adfectum, non prolapsum vel procidentiam esse vocandum, sed violentam potius extractionem, & mulieres ea ratione adfectas propter lacerationem vasorum ac ligamentorum vix unquam salvari, sed semper necessario interire. Quare eodem præjudicio deceptus negat, uterum ita protractum, & sphacelo corruptum citra dispendium vitæ arte chirurgica rescindi posse, sed ejusmodi operationem, utut à chirurgis temere susciperetur, cum præsentissimo vitæ periculo conjunctam esse. Eandem cum Meeckerano sententiam fovet quoque *Barbette chirurg. cap. 8.* *Sustinens*, uterum non facile laxitate, multo minus disruptione ligamentorum laterum prolabi: Interea tamen in gravi parturientium feminarum nisu & incauta secundinarum extractione fundum uteri inversum sese vidisse, non diffitetur. Ipsum autem sine periculo excindi posse, intolerabile esse audire saltem perito anatomico subjungit. Huic adstipulatur quoque *Dolens*, nullumque alium agnoscit prolapsum, quam interioris rugosæque vaginæ uterinæ membranæ, utpote quæ sola extra labia pudendorum procidere possit, relaxationem: Fundum enim uteri inverti nunquam posse.

§. VI.

At quid opus est contra hos aliosve plures prolixam & ordinatam argumentorum aciem instruere? Nullum enim efficacius, speculationes in veritate facti non fundatas, confutandi est remedium, quam experientia & oculata practitorum rerum suarum satagentium fides. Memoratu dignum talis procidentia uterinæ veræ casum ex observatione *D. Johannis Conradi*



radi Peyeri nobis recensent *Eph. N. C. Dec. II. An. 1. obs. 84.* ubi primum gravissime, prout meruerant, reprehenduntur *Kerckringius, Roonhuyfius & Meeckeranus*, duo cæteroquin chirurgi belgarum famigeratissimi, quod matricem unquam vere excidere posse constanter pernegaverint: deinde vero, ne quis existimaret, fuisse forsitan vaginæ tantum uterinæ relaxationem, additur, uterum sursum compulsum nonnunquam cum saltu pristinas suas sedes repetisse, cum interea vaginam in pristinum suum locum restituere non liceret. Id quod & postmodum autopsia in cadavere mulieris dissectæ confirmavit, ubi oculis patuit, uterum reapse prolapsum, neque tamen propterea vincula uteri penitus rupta, sed laxata tantum fuisse. Simile exemplum prolapsus uteri veri ex observatione *D. Johannis de Muralto* communicarunt *M. N. C. eadem Decur. eodemque anno obs. 112.* & quidem inducti per imprudentiam obstetricis, fetum una cum secundinis, utero pertinaciter adhærentibus nimia cum violentia protrahentis, eoque ipso uterum invertentis, idemque loco allegato *obs. 141.* recenset aliam talis procidentię à simili causa oriundæ historiam, ubi ab incauta obstetrice uterus loco fetus fuit protractus, ut marsupii inversi instar extra abdomen propenderet. *Isbrandus de Diembroeck* suum quoque addit testimonium, & *Anat. Lib. I. Cap. XXIV.* fatetur, seipsum in concubina Satrapæ *Leerdamenensis* vidisse uterum ad duorum digitorum latitudinem e sinu propendere, quem ipsemet etiam (quia chirurgos admittere noluit) manibus tractaverit, & conveniente instrumento versus interiora in locum suum retruserit, & ægram porro ita perfanaverit, ut postea illa pars nunquam amplius prociderit: ubi simul etiam provocat ad historiam mulieris, quæ legitur apud *Carpum*, cui uterus non solum foras prolapsus, verum etiam exsectus sit; ad auctoritatem *Paræi, Lib. XXIII. cap. 41.* exemplum uteri prolapsi & ab ipso *Paræo* excisssi & post mortem mulieris in abdomine non inventi adducentis; imo & ad *Hildanum Cent. 4. obs. 60. 61. & 62.* ubi à viro fide digno tria istius prolapsus exempla inveniuntur descripta. Cum hisce omnibus poterit, cui volupe est, conferre *Nicol. de Blegny Zodiac. Gallic. Ann. 3. mens. August. obs. 8. Francisc. Mauriceau de morb. Mul. Lib. II. cap. 13. Bonet. Sepulchret. p. 1320. Ephem. N. C. Decur. III. An. 1. obs. 114. & Petr. Marchett. observ. chir. 61.*

§. VII.

Omnium clarissime auctoribus antea memoratis glaucoma dispulisse & detraxisse videtur *Fredericus Ruyschius*, anatomicus & chirurgus nostri ævi celebratissimus. Mulieri, inquit, triginta circiter annos natæ, uteri admodum incrassati propendentia tantam adferebat molestiam, ut incedere vix potuerit. Consultum fuit, uteri extirpationem post injectam ligaturam moliri. Acu ergo tricipiti, filo duplicato munita operationem adgressus quidam magister, ligavit satis fortiter uterum e corpore propendentem: ast
utinam

ntinam nil præter eam partem acu & filo comprehendisset ! Patiens per unum atque alterum diem nihil reddidit lotii, quod nobis ansam dedit suspicandi, meatum urinarium simul acu & filo esse constrictum, prout eventus quoque docuit. Ægroræ miserandæ brevi post denatæ cadaver aperui, & conjecturam nostram non inanem fuisse advertimus. Scilicet meatum urinarium simul cum uteri corpore tam arcte ligatum, ut nil lotii reddere valuerit. Hic mihi, quid de uteri procidentia statuendum sit, perscrutandi locus fuit. Notum est multos reperiri, qui perhibent, uterum nunquam e corpore posse prolabi. Ex iis, qui contrarium propugnant, nonnulli in prolapsu uterum quoque inverti, alii uteri prolapsum nil nisi vaginæ procidentiam esse adserunt. Litem dissipavit cadaver hujus miserandæ feminæ: aperto enim abdomine in pelvi, qui locus est uteri, nil vidimus, præter unum ex ovariis cum adnexa tuba & ligamento lato. Uterus totus quantus & non inversus propendebat, & adeo deformis & ingens factus, ut nunquam ante cadaveris apertionem uterum esse dixissem, nisi in extimæ partis centro osculum conspexissem, ex quo levi opera guttulas aliquot sanguinis exprimebam &c. Atque in eo Ruyschius habet consentientes multos alios nostri temporis medicos celeberrimos, Wedelium, Schellhammerum, qui talem vidit prolapsum & partum ex eo consummatissimum, Johannem Mauritium Hoffmannum, qui similem casum observavit, Regnerum de Graeff, qui in quatuor puellis, de quarum læsa virginitate ne minima quidem subesse poterat suspicio, talem uteri prolapsum verum, sola fomentorum adstringentium adplicatione restitutum sese observasse tractatu de organibus genitalibus mulierum scribit. Quibus omnibus si ex antiquitate testimonia adjungenda forent, ipsum quoque Hippocratem hac in parte nos minime derelicturum sperarem, quippe qui uteros quacumque de causa propelli suo jam tempore adseruit.

§. VIII.

Equidem inficiās eundem non est, internam vaginæ uterinæ tunicam, quippe rugosam ac valde dilatabilem, nimiam quandoque relaxationem passam, extra pudendorum labia prominere, & procidentiam, quam veram antea diximus, mentiri, sicque obstetricibus, chirurgis atque medicis incautis imponere: qualem prolapsum spurium patiuntur quandoque gravidæ, potissimum primiparæ, si partus tempore legitimo nondum instante nimis intempestive ad labores partus urgeantur, quale exemplum nobis recensent *M. N. C. Dec. II. Ann. VII. obs. 54. & An. V. ejusd. Decur. obs. 150.* de muliere quadam, cui corpus aliquod carnosum ovi anserini magnitudine sinum pudoris implevit, quod tamen primo partu, quotiescumque sponte egrediebatur, facili negotio digitis reponi poterat, imo decubæ in lecto uxori nonnunquam sua sponte retrocessit, sicuti herniosis etiam contingere novimus. Cum vero secunda vice gravida abortum pateretur, fru-



stulū illud carnis extra sinum propendere iterum cepit, & non nisi summa cum difficultate & vix sine metu suffocationis restitui potuit. Medicis itaque & chirurgis presentibus recte judicantibus, procidentiae radicem non in cavo uteri, sed in altiore tantum vaginae parte fuisse, ad evitandum gangraenae periculum merito sectionem adornandam esse censuerunt, quam successus adeo felix coronavit, ut uxor integre convaluerit ac denuo pepererit. Unde constat, procidentiam non fuisse veram, sed tantum spuriam: alias enim nec concipere nec parere iterum potuisset. Simile exemplum prolapsus uteri nothi occurrit *Ephem. N. C. Dec. II. An. X. obs. 181.* proceditque, ut modo inuimus, vel ab intempestivis istis moliminibus, quae ante debitum parturienti tempus suscipiunt mulierculae, vel ex intensiori spiritus cohibitione sub magni ponderis elevatione, vel si exantlatis partus laboribus nimis cito ad consueta sua munia revertantur, qualem casum nuper adhuc observavi in muliere quadam paupercula, artem lotriciam proficiente, quae post tertium à partu diem ad ordinariam suam professionem reversa, spurium talem uteri prolapsum incurrebat, eodemque per vices adhuc laborat. Et si enim subinde prorsus evanuisse videatur; subinde tamen, sub ponderum praecipue majorum elevatione revertitur. Nonnunquam nimia alvi durities & nifus fortior egerendi faeces alvinas crassiores & induratas membranam uteri internam usque adeo extendit & prominere facit, ut mulierculae & obstetrices, interdum etiam medici, anatomiae & chirurgiae imperiti, eam habeant pro descensu uteri vero, cum tamen spurium tantum sit, & sola vaginae uterinae relaxatio.

§. IX.

Ex quibus proinde omnibus liquet, uterum in extremo necessitatis casu, eodem scilicet sphacelatione corrupto, arte chirurgica citra dispendium vitae amputari posse, quicquid etiam in contrarium dicat *Barbette. Platerus* enim historiam habet mulieris, cui uterus sphacelo corruptus tandem resectus fuit, menstruis postea aliorum vergentibus, & per podicem constanter effluentibus. Alium casum uteri, ex sede sua dejecti & ab aere ambiente corrupti, tandemque manu chirurgi & quidem citra vitae periculum amputati, exhibent *Ephem. N. C. Dec. II. Ann. IX. obs. 94.* Ut hac vice silentio praeteream exemplum puellae, cuius meminit *de Graaf*, cui pater ob nimiam salacitatem, quae eidem exosam sese reddiderat, uterum excidit, non aliter ac in porcis fieri solet, ubi filia nihilominus supervixit, omni tamen pristina libidine prorsus extincta.

§. X.

Similiter patet ratio & fundamentum nostrae inscriptionis in titulo Disputationis; quippe quae exhibet *novum artificium restituendi prolapsum uteri verum.*

verum, ut hoc modo distinguatur à spurio. In illo enim totus uteri fundus marsupii instar quandoque inversus extra sinum pudoris propendet; in hoc vero tunica uteri interior præter modum relaxata extra pudenda tantum prominet. Est enim interna vaginæ superficies multis rugis orbicularibus aspera ac veluti inæqualis, quæ sicuti sub ipsis laboribus partus admodum dilatari, & fetui foras prodituro exitum concedere debet: Ita à qualibet alia causa nimiam sui relaxationem passa, & à tono suo dejecta foras prolabitur, & quandoque veram procidentiam uterinæ speciem mentitur, sicque incautos fallit.

§. XI.

Supervacaneum vero est, solertem præticum multis instruere velle, quæ ratione sarcoma seu excrescentiam carnosam à prolapsu uteri sive vero sive spurio distinguere debeat: hæc enim incautis obstetricibus, medicis vero practicis, anatomiam & chirurgiam callentibus raro imponunt. Nec facile fallere eosdem potest excrescentia fungosa, ex collo uteri propendens, qualis historia legitur apud Bonetum Med. Sept. Vol. II. obs. 33. Nec denique mola, quæ interdum vaginæ, non fundo uterino inhæret, & prolapsum mentitur, hæc oculis ejus ludibria offundere potest: hæc enim exclusa prolapsus uterini metus mox evanescit, sicuti talem casum refert Johannes Jænischius, ubi mola uteri tandem exclusa, putatitius iste uteri prolapsus statim evanuit.

§. XII.

Est quoque hac vice ab intentione & scopo meo prorsus alienum, in ætiologicam adfectus hujus considerationem diffundi; id enim abunde ab aliis jam præstitum est. Paucis tantum observari vellem, prolapsum uteri verum violentam ligamentorum uterinorum disruptionem, sicuti vulgo auctores & sibi & aliis persuadent, non semper arguere; hæc enim ratione nullus unquam prolapsus medelam admitteret: sed per frequenter à sola tantum dictorum vinculorum relaxatione, nimiaque toni remissione eundem dependere, à colluvie v. g. serosa inducta: id quod egregie confirmant non solummodo historiæ superius adductæ, sed & mulieres duæ apud Bartholinum, quarum historia exhibetur à Boneto Med. Sept. Vol. II. obs. 32. Imo & exemplum virginis, quod legitur in Ephem. N. C. Dec. I. Ann. VI. & VII. obs. 73. cui uterus pugni minoris magnitudine extra genitalia protuberabat. Etsi enim alias puellæ non maritæ rarissime procidentiam uteri patiantur: attamen easdem non prorsus ab hoc adfectu esse immunes, ex dictis clare constat.

§. XIII.

Potius itaque missis hisce ad curationem adfectus nos convertimus, qui præter incommoda, quæ inter incedendum parit mulierculis, ob symptomata simul conjuncta, ardorem urinæ, dolorem lumborum ac pubis, & quod ægræ nec erectæ commode stare, nec sedere, nec pronæ nec supinæ facile jacere queant, imprimis vero ob metum sphaceli, qui utero extra sinum muliebrem propendenti tam ab aère ambiente & excrementis continuo prodeuntibus, quam a perpetua femorum allisione promptissime accedere solet, celerrimam sui restitutionem postulat; quæ duobus potissimum momentis absolvitur, *repositione* nempe organi prolapsi, ejusdemque in loco suo nativo *retentione*.

§. XIV.

Quod *repositionem* attinet, suo quisque sensu hic abundat vel luxuriat, imo quorundam conamina usque adeo absurda sunt, ut risum invitis merito extorqueant. Nonnulli enim ferramentum candens, quasi uterum eo ipso tacturi, ægræ ostendunt, credentes, hoc modo uterum ad pristinas suas sedes sese recepturum; qui si credant, uterum esse animal vivum in corpore vivo, sicuti deliravit Aristoteles, pedibus instructum & quasi currendi facultate donatum, ac proinde in fuga salutem suam quæsiturum, suo fortassis sine non excident: jam vero res aliter sese habet. Alii cucurbitulis siccis cum magna flamma regioni umbilicali adplicitis reductionem uteri tentant, quorum tamen conatus omnes identidem vanos, irritos atque frustraneos esse oportet, quia partium solidescens membranofo-carnosarum longe alia, quam humorum in motu constitutorum est conditio, in quibus quippe vis revulsoria parvam aut nullam exerit efficaciam. Nonnulli eodem revellendi scopo præscribunt vomitoria, putantes laborioso tali ventriculi totiusque abdominis conatu uterum versus superiora in locum suum reverfurum: hi vero tantum abest, ut prioribus sine suo felicius potiantur, ut jure potius metuendum, ne violenta ista totius corporis concussionem malum in pejus ruituram sit. Rudior quoque, medicoque ac chirurgo rationali indignus est modus, uterum restituendi baculo ligneo, linteo subtili undiquaque obvoluto; ille enim pariter sine magna violentia organo tenero atque sensibili inevitabiliter inferendo expediri nequit. Nonnulli pro eodem scopo obtinendo odorifera naribus & graveolentia pudendis admovere solent, eventu tamen æque dubio atque incerto: sicuti enim pathemata hysterico-spastica ex odoriferis naribus admotis non in omnibus promiscue, sed ordinarie magis in subjectis teneris, gracilibus & exquisite sensibilibus insequuntur: ita etiam effectus, quem inde sibi promittunt, eventui non æque semper respondet, licet alias uterum ejusmodi rerum admotione in dispositis admodum esse sensibilem non sit ignotum.

§. XV.



§. XV.

Rectius ejusmodi miseris consulunt, qui ex panno linteo sæpius convolutato & filo strictius ligato pessaria parant, vel facculis lanugine gossypii infarctis & oleo probe inunctis restitutionem tentant. Imo ipsa mulier prolapsu tali laborans sibi ipsi tali in negotio abunde sufficit, suisque digitis uterum in genuinum suum locum reponere potest, dummodo nimia nondum inflammatione laboret, aut corruptionis primordia in eodem adpareant. Præprimis si eum, qui pro commodiori ac faciliiori uteri restitutione requiritur, habeat situm, atque supina, cruribus divaricatis genubusque sursum retractis, recumbat. Ita enim satis expedite vel solis mulieris vel chirurgi aut obstetricis digitis vel pessario conveniente in locum suum naturalem reponi potest: qui tamen conatus ut eo feliciorum sortiatur eventum, ipsa prius vesica urinaria & intestinum rectum, quas partes secundum naturam interjacet, sordibus suis excrementitiis liberanda sunt; quia alias cervicem uteri comprimendo restitutionem certissime difficiliorem redderent: unde & nequaquam impetuose aut violenter, sed modeste & singulari cum circumspectione molienda est, ut si inter reponendum de dolore lumborum & coxarum extraordinario conqueratur ægra, ab ulteriori conatu tamdiu desistat chirurgus vel obstetrix, donec inlessum vel fotuum emollientium usu aliquoties repetito, restitutio partis prolapsæ facilitata fuerit.

§. XVI.

Est enim vero non sufficit, uterum hoc modo reposuisse, sed & eundem in hoc suo situ confirmasse & conservasse juvabit. Quamvis enim interdum sola quies & decubitus fæminæ supinus, coxis paulisper elevatis & cruribus complicatis sufficiant, pro utero in sede sua naturali continendo, præcipue in juvenculis & subjectis habitus firmioris, in quibus insuper malum adhuc recens fuerit, nec firmiores egerit radices: attamen idem illis haud raro evenit, quod toto die contingere experimur herniosis, qui ex situ corporis horizonti propemodum parallelo in perpendicularem erecti, mox portiunculam intestini per dilatatum peritonæi processum in scrotum denuo lapsi observant. Quare retentionem istam uteri per suffumigia & fotus adstringentes ex radicibus bistortæ, tormentillæ, floribus balauitiorum, rosarum rubrarum & foliis absinthii, millefolii, myrthi &c. paratos juvare & confirmare moliantur. Quibus omnibus, uti haud raro cum opprobrio experiuntur practici, nihil proficientibus, ad sola pessaria tanquam ad scaram quandam anchoram recurrendum est.

§. XVII.

Hic tamen iterum tam ratione formæ & figuræ, quam ratione materiæ,

Z z z 3

ex



ex qua componuntur, mira est luxuria, & quod alio sensu in proverbio dici consuevit, varietas delectat. Quibusdam placet figura ovalis, qualem exhibet fig. I. Iconismi vel ad ovalem proximè accedens, qualem fig. II. representat, Aliis rotunda & circularis commodior videtur, qualis fig. III. conspicitur; rursus aliis quadrata, aliis alia pessii forma magis arridet. Duos priores funiculo A. & B. ad alterutrum extremorum alligato oportet esse instructos, non solummodo, ut pro lubitu & arbitrio mulieris extrahi queant, sed & fasciæ abdomini circumjectæ alligari, ne violentius matrice excussi in terram impingant, utpote quod menstruorum tempore per frequenter contingere solet. Nonnulli pro utero in loco suo post repositionem præcedentem retinendo certam subligaculi speciem adhibent, quam Zonam Hippocratis vulgo vocant, ejusdem ferme structuræ cum illis subligaculis, quibus intestini portio scrotum illapsura impeditur, & post repositionem in naturali suo situ retinetur. Talia vero subligacula, præterquam quod admodum sint incommoda, toties insuper removenda sunt, quoties urinam excernendi necessitas incumbit mulieri. Alii nucem juglandem excavatam & cera virginea exterius obductam utero induunt, alii globulis vel pilis ligneis cera inductis eundem in finem utuntur. Oportet tamen hosce globulos ex ligno buxæ vel subere incerato factos non nimis esse magnos, quia alias molesto pressionis sensu adficerent uterum atque hinc vel fluxum album excitarent vel post se relinquerent. Nonnulli pro utero restituto in sede sua nativa corroborando, regioni pubis vel lumborum emplastrum contra rupturas vel aliud quodcunque fortiter adstringens admovent, atque effectu, quem inde sibi præstolantur, non semper excidunt. Wedelius mentionem facit femine, quæ poma in uterum intruso præcavebat, ne invitæ elaberetur multumque facefferet negotii: Ast halitu retento, & nisu versus inferiora facto, non pomum tantum cum impetu excludebatur, sed & uterus ipse mox sequebatur: Quod & ne prioribus artificiis facile eveniat, ad modum veretur: Taceo, quod fordium excrementitiarum profluxum remorentur, aliasque corruptelas adferant.

§. XVIII.

Hisce incommodis quodammodo mederi studuerunt alii, qui pessos commendarunt annulorum instar perforatos, quique proinde ad nostrum, quem intendimus, scopum accedunt propius. *Joannes de Murato*, celebris Helvetiorum medicus & Gymnasii Tigurini Professor, quique ab aliquot retro annis non infeliciter artem subinde obstetriciam exercuit, pessulorum ejusmodi annulorum instar perforatorum meminit: Quæ verò de reliquo genuina eorundem fabrica & constructio fuerit, subicit, sicuti ex *M. N. C. Dec. II. An I. obs. 112.* manifeste constat. *Joannes Baubinus* mentionem quoque injicit circularum, ex filo argenteo rotundo paratorum cum furca trifida ex eadem materia, & quidem utero immittendorum: Ast cum ipse simul moneat, tale instrumentum ab uteri pondere facile iterum foras propelli,

PELLI, adeoque fascia demum commoda retinendum esse, patet iterum structuram ejusdem à nostro artificio quam diversissimam esse. Ita etiam descriptio instrumenti, quod in arte herniarum curatrice suppeditat *Doctiff. de Blegny*, ab ea, quam mox adferemus, machinulæ delineatione longissime differt. Ut adeo, quotquot ego quidem auctores hactenus evolvi, talis pessuli, qualem jam descripturus sum, formam, structuram & usum, à nemine adhuc delineatam aut descriptam viderim.

§. XIX.

Est autem pessulus iste figuræ propemodum coniformis, basin habens ampliore, in conum detruncatum sensim desinentem, atque ex meris circulis ferreis mediocriter crassis (*Eysen Drath*) singulari artificio in talem formam coaptatis, ut digitis paulo fortius compressus in se quidem promte coeat & contrahatur: sed pressione remittente in pristinam suam figuram mox resiliat & extendatur. Filum ferreum, ex quo machinula paratur, interiorius oportet esse obductum fasciola linea angustiore, exterius vero corio molliore, ne uterum rigiditate sua premat eidemque molestiam creet. Utrinque ex basi latiore propendere debent ligamenta C. & D. ut iisdem, necessitate sic exigente, instrumentum adprehendi uteroque extrahi queat. *Ichnographiam* ejusdem, prout ex meris circulis ferreis componitur, exhibet Fig. IV. *orthographiam* vero Fig. V.

§. XX.

Atque ut medici & chirurgi solertiores clarius videant, quid præcipue subsidii in praxi medica & chirurgica ex hoc invento promittere sibi debeant, tribus adhuc verbis egregiam illam prærogativam, qua præ omnibus aliis pessorum uterinorum hucusque detectorum speciebus eminet, exponam. *Primo* enim hoc artificio duabus simul intentionibus & scopis curativis satisfacimus; quia eodem utero non solummodo in sedem suam naturalem reponimus; sed & in eadem confirmamus: est enim organon virtute veluti elastica præditum, quod violentia externa facile quidem comprimitur, sed eadem remittente mox resilit, & figuram pristinam, prout omnibus corporibus elasticis solenne est, adfectat: eadem fere ratione, sicuti ruditer observare licet in sedilibus, quorum sedes ex filis ferreis certo artificio invicem contortis & corio postmodum inductis paratur, quæ, si quis iisdem insideat, mox deprimuntur, si vero resurgat, mox iterum elevantur, atque, ut ante, protuberant. *Deinde* hoc instrumentum in nulla facile corporis concussionem ac depressionem abdominis versus inferiora, utut violenta, ulli explosioni aut excussioni obnoxium est, sicuti hunc defectum in sphericis, ovalibus alteriusque figuræ pessulis antea observavimus; sed in utero constantissime conclusum manet, nisi mulier ipsa ob certarum circumstantiarum rationem necessarium judicaverit pessulum eximere. *Tertio* idem quoque instrumentum annulorum instar perforatum est

est, ut excrementorum per uterum excernendorum transitum non remoretur, sed libere transmittat. Reliqua, quæ cum aliis pessariorum speciebus, quorum descriptiones auctores passim suppeditant, communia habet, silentio lubens prætereo.

§. XXXI.

Neque vero curam tantum palliativam, ut plerisque videri posset, sed vere eradicativam pollicetur hæc machinula, adeoque nec per totam vitam gestare eandem opus est, quippe quod intolerabilem servitutum miserarum muliercularum cervicibus imponeret: Successu enim temporis ligamenta uteri, per violentiam externam antea laxata & præter modum extensa (rarissime enim actualiter rumpuntur) in se mutuo contrahuntur, robur ac tonum suum recuperant, atque ita in loco suo nativo uterus retinetur, præcipue si tonicorum & roborantium internorum usum aliquandiu continuatum diligenter combinemus; sicuti idem quoque herniosis evenire observamus, in quibus rarissime actualis processuum peritonæi ruptura, frequentius simplex tantum dilatatio obtinet, quæ facta blandiori intestinuli in abdominis cavitate repositione, non solummodo, per commodam fasciationem sed & subligaculorum adplicationem ita mensium aliquot decursu rursus coarctatur & veluti occalescit, ut in scrotum amplius prolabi nequeat.

§. XXXII.

Unum, quod facile prævideo, & ideo minus quoque nocebit, telum adhuc avertendum est; ejusmodi scilicet machinularum commendationem practicam, frequentem atque sæpius iteratam experimentorum circa eam rem factorum observationem præsupponere, qualis tamen à nemine, nisi praxi undiquaque circumfluente promanare queat. Sufficeret pro telo hoc avertendo regessisse, non omnium conditionem æque facile ferre, praxin popularem, prout vulgo exercetur, studiosius consuetari. Sed respondeat pro me hæc vice Galenus, cujus verba aurea, quæ libro primo methodi medendi mox à principio leguntur, mea facio: Cum ægrotare ceperint, inquit Galenus, medicos advocant, non quidem optimos, utpote quos per sanitatem noscere nunquam studuerunt, sed eos, quos maxime familiares habent, quique ipsis Maxime Adulantur: Qui & frigidam dabunt, si hanc poposcerint, & lavabunt, cum jusserint, & nivem vinumque porrigent. Postremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu facient. Contra quam veteres illi medici ab Æsculapio oriundi, qui tanquam duces militibus & Reges subditis imperare ægris voluerunt: Nequaquam vero Getarum & Phrygum & Thracum emptitorum ritu parere & obsequi. Itaque is non, qui melius artem callet, sed qui adulari aptius novit, apud istos magis in pretio est, huicque omnia plana perviaque sunt: Huic ædium fores patent, hic brevi efficitur dives plurimum.

mumque potest: Huic discipuli multi à cubiculis, ubi jam fuerint exoleti, traduntur &c. Quod vero praxin medicam eo, quo vulgo fieri videmus, modo exercere, non sit res usque adeo implicita, partim quotidiana experientia constat, partim ex verbis Galeni paulo post insequentibus haud difficulter colligere licet, quando ita pergit: Atque hinc adeo fit, ut nunc etiam futores & tinctores & fabri tum materiarii tum ferrarii, proprio magisterio relicto, in medicinæ artis opera insiliant; quin & Rhopopolæ ipsi etiam de primo loco certant. Res est nimis odiosa, quam ut pluribus eandem profequi consultum videatur.

F I N I S.





DISSER.



L X X X V I.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

DE

PROLAPSU ET INVERSIONE UTERI
EJUSQUE VAGINÆ RELAXATIONE.

Quam Præside

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO.

Tuebatur

FRID. BENJ. WACHTER,

NORDHUSIA-THURINGUS.

Halæ 18 Junii anno 1745.

A a a a 2

